



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XLI. D. Anno. XX. Arch. IV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

ratores venerari licuit Coloniae nunquam adversum. De Hermannus virtutibus testimonium dixit inter alia etiam lampas pretiosa, quam in sacello quoque D. Magdalene honoribus dicato, luce perpetua iussit illustrari: illustravit vero Hermannus Germanam precipue Ecclesiam annis 19. an. 1055. tumulo illatus.

XLI. D. ANNO. XX. ARCH.
IV. ELECTOR.

Anno è Suevorum Comitum de Sonnenberg stemmate natus, frater Weneri Archi-Episcopi Magdeburgici, artibus, scientiis & virtutibus rite instructus, atque inter Canonicos adscriptus, Bambergensium Gymnasio Præses est postulatus: inde verò ab Henrico III. Cæsare consiliis adhibitus, & Legatus Coloniæ missus, tanti ab Hermanno II. Archipræsule, & Canonicorum Collegio fuit æstimatus, ut eundem præ competitoribus aliis in Caput suum delegerint. Mox etiam publica Imperii autoritate Henrico IV. Romanorum Regi admodum Adolescenti datus, Adelbertum Bremensem Episcopum eo in munere expertus est adversarium, Henrici seductorem vaferimum; unde Augustus discipulus adversus Magistrum tantam concepit iram, ut nisi Agnes Augusta mater vim elusisset, Elector Coloniae in tantilli Cæsaris insidias incidisset, aut aperto vulnere concidisset. Idem iustitiæ assertor fuit non nunquam rigidissimus; argumento nobis sit exemplum ex pluribus unum. Cum mulier multis obnoxia litibus iniquos iudices coram Archipræsule insimulasset, & causam argumentis firmasset, latâ ab Annone sententiâ, Viris septem eruti sunt oculi; septimo tamen, fortassis omnium minus reo relictus est oculus, ut cæcorum deinceps dux foret. Hujus ipsius Archi-Episcopi Coloniae servari in monasterio Sigenbergensi ajunt Pedum, cui inscripta hæc sit legere verba:

Tityre coge pecus, cæcos ne ducito cæcus.

X 3

Dux

Dux oculatissimus verò inter Colonienfes fuit an. 20. vaticinijs & miraculis clarus, quem multis profecuti sunt laudibus *Albertus Kranzius, Brovverus & Scriptores etiam A catholici.* Mortuum dicunt an. 1075.

XLII. HILDOLPHVS, XXI. ARCH.
V. ELECTOR.

Hildolphus annorum 4. Archipræful ex humili loco in Cæsaris Henrici IV. aulam translatus, partim ad aras ritè faciendo, partim meritis suis alijs præclaris adeò sibi devinxit D. Annonis, aut veriùs divini Numinis favores, ut cum librum suo & proximorum bono peraccommodum rogasset D. Archipræfulem, hic continuò responderit: habebis brevè & librum, & Sedem Annonis: unde cecinit Poeta:

Ex humili scandit sacræ ad fastigia Sedis
Hildolphus, quod ei dixerat Anno priùs,

XLIII. SIGEVVINVS XXII. ARCH.
VI. ELECTOR.

Sigevvinus 10. annorum Antistes, in Eiffia natus, D. Annoni ob insignia merita non minùs carus & acceptus, quàm Hildolphus habebatur: testimonii loco esse poterat, quòd pari vaticinio prædixerit Anno vates Segevvinus Colonienfem Infulam: monumenti instar sit versus:

Eiffia Sigvvinum genuit, prædixerat Anno
Mitram.

XLIV. HERMANNVS XXIII. ARCH.
VII. ELECTOR.

Hermannus 10. annorum Archipræful, natus Comes de Notheim, aut veriùs Henrici cognomento Pinguis ad Visurgim Ducis filius, Richenzæ Lotharii II. Augustæ conjugis frater, D. Severini sacras Reliquias honoratori loco posuit